



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 18. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

juvandi. Sed ad aulas alias in vinculis ductus est, & multa patiens. REFL. Hæc omnia propter vanam, & mundanam nostram conversationem corrigendam.

VOL. *Evangelizare pauperibus misit me,* dicamus cum Christo. Luc. 4. & in aliis, nil nisi Dei gloriam, & proximi salutem spectemus.

COLLOQ. Petendo, ut Christum imitari possimus, & cum illo modestiam & patientiam in omnibus sectari. RECOLLECTIO.

## MEDITATIO XVIII.

*De transmissio Christo ad Herodem.*

Luc. 23. Myst. punct. 3.

CONG. Condolere Christo contempto & illusio.

PRÆL. I. Quomodo Christus ab Herode spreus fuerit, & alba veste indutus.

PRÆL. II. Constituere se præsentem huic spectaculo.

PRÆL. III. Petere gratiam tertii modi humilitatis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Aulam Herodis, & in eâ Christum.

INTEL. Videamus Herodem, cum exercitu suo militantem sub vexillo Luciferi, in cathedrâ superbiæ sedentem, plenum fumo vanitatis, homicidam & adulterum terribilem: Christum verò humili constitutum loco; sed speciosum figurâ inter tot opprobria, & vultu valdè amabili.

U S

REFL.

REFL. Eligendum est alterutrum vexillum. *Nemo potest duobus dominis servire.* Matth. 6.

VOL. Toto corde detestemur vexillum Diaboli, & mores pessimos Herodis, & amplectamur Christi vexillum.

**PUNCTUM II. VERBA. MEM.** Attendamus animum ad sermones, qui ibi habentur.

INTEL. Sermones Herodis, & Aulicorum erant pleni contemptûs, & vituperii. *Derident enim Iusti simplicitas.* Job. 12. Christus verò Patri suo, & nobis tacitè loquitur: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Thren. 3. REFL. Si elegerimus Christi vexillum, debemus propter Christum etiam lubenter derideri.

VOL. Memores simus Christi sic derisi, dum propter virtutem irridemur & contemnimur. Veniet tempus, quando derisores illi, cum Herode, & Aulicis ipsius dicent: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum &c. Nos insensati &c.* Sap. 5.

**PUNCTUM III. OPERA. MEM.** *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ.* Luc. 23.

INTEL. Sic tanquam stultum Herodes cum suis Christum sprevit. REFL. Hæc est vestis Regis nostri: hæc sunt insignia ejus, quibus debemus indui.

VOL. Exerceamus nos in tertio modo humilitatis. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 3.

PUN-

**PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. CONVER-**  
tamus nos ad Christum albâ veste indutum &  
illum.

**INTEL.** Meritò Isaias describit Christum, *despectum, & novissimum Virorum*, Cap. 53. Nam in genere contemptus, Sapientia Christi, non potuit plus pati, quàm testimonium stultitiæ. **REFL.** Comparemus quidquid passi fuimus vituperii, cum hoc Christi despectu.

**VOL.** Si amemus Christum Regem nostrum, tangamur commiseratione, & compassione: & optemus cum ipso socii esse in tali vituperio propter Justitiam.

**PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Videamus**  
Deum Patrem & Aulam cœlestem spectantem hanc Christi irrisionem.

**INTEL.** Ibi in Cœlo judicatur Herodes cum suis, ut stultus: & quàm verum sit iudicium illud cœleste, agnoscent omnes, qui sequuntur Herodem, quando clamabunt: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam. &c.* Sap. 5. Attamen Cœlum videtur clausum, nec Divinitas ullum solatium permittit. **REFL.** Non mirum, si nobis quoque in desolationibus videatur interdum Cœlum quasi claudi.

**VOL.** Quando dicimus ad eum: *Quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* non dicamus id conquerendo (nam memores esse debemus hujus Christi desolationis in tanto contemptu) sed sicut sequitur, petendo humiliter auxiliû: *Emitte lucem tuam, &c.* Ps. 42.

PUN-

**PUNCTUM VI.** QUID NOS. MEM. Ad idem spectaculum Christi illusi nos iterum convertamur.

INTEL. Peccata superbiæ hominum causa fuisse, cur Deus in tanto contemptu *proprio Filio non pepercit*. Rom. 8. REFL. Scrutemur nos ipsos, & recenseamus cogitationes, verba & opera superbiæ nostræ.

VOL. Excitemus contritionem de illis peccatis, ex amore erga Christum, qui propter nos tanta passus est, & renovemus tertium humilitatis modum.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam magnam Dei. Nam postquam sexcenties renovaverimus affectum tertii modi humilitatis, dum ejus exercendi erit occasio, sentiemus infirmitatem nostram. Ita radicatum est illud vitium capitale in homine.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO XIX.

*De reversione ab Herode ad Pilatum.*

Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Joan. 19.

Myst. punct. 1.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo reverso Christo ad Pilatum, amici facti sint Herodes & Pilatus.

PRÆL. II. Respicere viam reversionis.

PRÆL.